

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**De condicionibus quibus latinae disciplinae perceptio continetur.**

**Philosophicae disputationes Modernistam inter et Thomistam.**

— Quid involvat iudicium practicum quo voluntas ad actum moveretur.

**Paroemiae sive adagia:** Tricæ. — Apinæ.

**Fine orbis appropinquante....**

**Passio Christi in scenis acta ad Oberammergau.**

**Iacobi Balmesii centenaria commemorationis.**

**Acta Pontificia:** SS. D. N. Pii PP. X litteræ encyclicæ ob sollemnem

Caroli Borromei commemorationem, abhinc annos ccc in Sanctorum album relati.

**Diarium Vaticanum.**

**Annales.** — Hispanici gubernii cum Apostolica Sede discutimus. — Cretensis quaestio. — In inferiore America.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

**Per orbem.**

**librorum recensio.** (G. Frémont).

**libri recens dono accepti.**

**Aenigmata.**

## DE CONDICIONIBUS QUIBUS

LATINÆ DISCIPLINÆ PERCEPTIO CONTINETUR<sup>(1)</sup>

### II.

De prima docendi condicione, quae est scientia docentis, disputavimus; nunc alia venit consideranda, quae est dissentium aetas, sive captus. Eandem enim linguam eisdem de causis susceptam idem doctor non eodem semper modo tractabit, sed pro eorum quos erudit aetate, h. e. prout hac vel illæ gregis sui capti viribusque institutionem suam accommodare tentabit, aliter in aliis discipulis aget. Haec docendi condicio, quum nunquam non agnita sit, tum nostris temporibus vel maximi est momenti facta, quia aliae disciplinae, eaque plurimæ, locum sibi merito vindicant, ita ut latinus praceptor quasi eligere atque pacisci cogatur quoniam potissimum annos pueriles ad sua linguae studia trahere velit. Scilicet non omnis ambitus annorum scholasticorum huic rei dari potest, sed circiter anni quattuor: ceteros discendi annos alia studia necessario occupant.

Universus cursus institutionis Americanæ a primis elementis usque ad universitatem duodecim annis sive gradibus (quos vocamus) plerumque continetur. Ex his octo gradus (qui totidem annis vulgo absolvuntur) ad inferiores scholas, quattuor ad superiores pertinent. In superioribus autem scholis (quae alio nomine *praeparatoriae* saepe appellantur) latina studia habentur. Et quoniam in plerisque regionibus Americæ lege sanctum est ut a sexto anno pueri publice erudiri possint, sequitur ut quadriennium latinum ab anno quarto decimo incipi soleat. Hos igitur annos, hanc aetatem,

hunc denique intellegendi captum viresque plerique apud nos linguae latinae moderatores ob oculos habere consueverunt.

Ego cum his doctoribus de temporis spatio nullus contenderim. Mihi satis fit, si per eos qui concessi sunt annos prudenter agatur. Etenim et suum cuique rei locum dandum puto et eam aetatem aptiorem latinis studiis esse existimo, quae ad hodiernum statum sermonis latini proprius accedit. Antiquis quidem temporibus domesticus fuit sermo latinus et a nulla aetate alienus: iam vero neque domesticus est neque puerilis, sed quam maxime virilis; qui qualis olim saeculis praeteritis matribus, nutricibus puerisque Romanis fuerit ne imaginari quidem valemus. Tamen ad eum probe discendum et memoria firma opus est (quae in parvulis maxime viget) et iudicii aliqua subtilitate, ne ultra modum, immo ne ultra id quod fieri potest, memoria dissentium gravetur. Iudicium autem grammaticum in parvulis nullum omnino est; incipit tamen esse in ea aetate, quae in superioribus scholis reperitur, vel paullo antea. Quae quum ita sint, ipse latinus sermo suadere nobis videtur, ut hanc aetatem exspectemus et exspectatam et iam praesentem scite strenueque pro opportunitate suscipiamus, erudiamus, excolamus. Sufficiat igitur nobis, magistri doctissimi, quod nostrum est; aliarum professores artium in amicorum ac sociorum numero retinere studeamus; ad nostram quod attinet partem, in emendandis atque perficiendis docendi rationibus spem ampliorum fructuum constanter ponamus.

### III.

De tertia condicione docendi (quae est natura et indoles ipsius sermonis), et olim in *Voce Urbis* me disputare memini et hoc libello in iis, quae supra de aetate proposita sunt iterasse sententiam meam videor. Tamen quaedam subici placet. Scilicet virilem esse latinum sermonem usu, statu, litterarumque monumentis

(1) Cfr. num. vi.

demonstravi; sed absque omni respectu usus et aetatis (nisi forte nutricibus rem latinam permittere atque soli memoriae confidere velimus) illud ab initio usque et per omnia agendum nobis est ut declinandi figuris constructionibusque syntacticis providentissime atque amplissime consulamus. In recentioribus linguis differre grammaticas leges saepius expedit et litterarum formis sonisque cognitis a lectione fabularum faciliorum initia docendi facere: nostris discipulis nulla certa via ad latina patet, nisi ea quae exempla plurimis substernat praeceptis. Exempli gratia, praepositiones latinae sine quibus vix ulla sermocinatio fieri potest, casum flexus postulant; casus autem ad declinationum varietatem quintuplicem statim ferunt. Atque si quis praeceptor, omissis ad breve tempus praepositionibus casibusque, simpliciores locutiones tradere velit quales sunt: *ignoro hoc vocabulum, praeceptor, et quid est hoc?* nemo discipulorum, dum cupit proprio Marte huiusmodi dictiones coniungere, et dicere *ignoro, praeceptor, quid hoc vocabulum sit* soloecismum evitabit. Non enim suspicabitur legem esse qua Indicativus modus in Subiectivum transeat; sed illico sistendus atque morandus est, donec obliquarum interrogationum quaedam praecepta acceperit. His difficultatibus occurri posse non nego, immo vero, si quid est in me facultatis, eas quodammodo solvisse mihi videor: sed quoquo modo haec res se habet, illud unusquisque nostrum fateatur necesse est, indolem grammaticam linguae latinae non mediocriter determinare quomodo magistris agendum et qualis via ad proposita nostra munienda sit. Sed de hac re iam satis.

(Continuabitur).

Chicagine, Kal. Iuliis.

THEO. T. CHAVE.

## PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

**Quid involvat iudicium practicum quo voluntas ad actum movetur.**

MODERNISTA. — Diutius quam par est, amice carissime, de arguento inter nos hucusque disputato silimus. Dum igitur feriarum otia Deus nobis facit, colloquium nobis prosequendum, si lubeat, iudico, eo imprimis quod etsi plurima iam discussa fuerint, longe plura tamen enucleanda, ni fallor, supersint.

Id ergo tu colloquio proxime ultimo colligebas, iudicio mere speculativo sive ex natura, sive ex modo, nullatenus moveri voluntatem, sed requiri iudicium omnino practicum, sese ad particularia applicans, imperans hic et nunc agendum esse, vel secus.

Quod sane libenter ego et teneo et concedo. Neque tamen, ut fatear, perspicio qua ratione ad particularia sese applicet iudicium speculativum ex modo, de quo

hic solo agendum nobis est, quum iudicium ex natura speculativum naturam propriam evadere nequeat, neque practicum ullimode fieri possit.

Qua in quaestione plurimas difficultates involvi mihi videre videor.

THOMISTA. — Ita sane, amice carissime. Et ego colloquium iamdiu incoptum alaeri animo resumendum puto, ne disputatio nostra ut res infecta dimitatur.

Ex praedictis ergo id colligendo retinemus, scilicet intellectum speculativum, qui ens ut ens contemplatur, abstrahere a bono, seu a ratione convenientis, id est a fine et ab omni agendi ratione, proindeque imparem remanere qui voluntatem ad actum moveat: unde requiritur prorsus intellectus practicus qui esse ut bonum sub ratione boni respicit hic et nunc prosequendi, et proinde contrarium amovendi et resuendi rationem praebat. Nondum tamen quaestionum et tricarum hic finis.

Quod quo clarius appareat, en exemplum totius rei explanandae, quod, duce Aristotele et Aquinate, nonnulli analysi, quam dicunt, subiiciendum duco.

Non male arguit, qui ita arguit: « Bonum est faciendum: Atqui eleemosynam pauperi erogare est bonum: Ergo pauperi eleemosyna est eroganda ».

Quo in syllogismo prorsus pratico tres propositiones, non secus ac in speculativo occurunt.

Singula autem argumentationis propositio undenam habeatur inquirendum nobis est. — « Bonum esse faciendum » proindeque « malum, ut bono oppositum, vitandum » dictat aliqua facultas humana, quam nullus, neque ipsemet Deus, infringere potest in homine, ita nempe ut creatura rationalis agere velit id quod sibi nullimode convenit.

De huius facultatis nomine nullatenus disputandum videtur, dummodo res ipsa omnino retineatur, iuxta experientiae dictamina.

Veteres synderesim dixerunt, definiveruntque habitum, seu melius intellectum primorum eorumdemque universalium iuris principiorum. Hodierni et rem et nomen insulse derident et tradunt. At parvi res nobis refert, dummodo facultas illa retineatur, neque cum conscientia aut etiam cum lege naturali male et confuse permisceatur.

Huiusmodi autem facultatis dictamen sic imprimis compendio tradi potest: « Bonum est faciendum, proindeque malum vitandum ». Illa igitur est facultas quae nobis maiorem propositionem praedicti syllogismi eiusdemque practici et exhibit et tuetur.

Id muneris ex natura sua praestat synderesis.

Minor autem propositio, scilicet: « Atqui eleemosynam pauperi erogare est bonum », undenam habetur? Ex rationum pensatione, quae erunt vel ordinis superni, ut, v. gr. Deum iubere ut eleemosyna pauperi erogetur, quasque attingit ratio sic dicta superior per sapientiam; vel erunt ordinis subalterni et inferioris, ut v. gr. ne pauper famem passus ferocior in societatem

fiat, quas per scientiam ratio sic dicta inferior respondebit.

Unde minorem praedictam sapientia aut scientia praestabit.

Remanet autem propositio tertia, seu conclusio argumentationis quae haec est: «Ergo eleemosyna pauperi est eroganda». Quae conclusio praemissas propositiones de bono in omnibus, vel saltem in pluribus distributo, applicat ad bonum particulare hic et nunc agendum.

Cuiusmodi propositio nulla prorsus foret, nisi haberentur praemissae universales seu communes, in quibus quasi continetur, quaeque in conclusione ad factum particulare applicantur, sicut et praemissae inutiles remanerent quoad proxim, nisi per conclusionem applicarentur. Quae applicatio per conscientiam fit, sive de praeterito, sive de praesenti et futuro.

M. — Nonnihil tamen contradictionis involvere assumptum tuum videtur. Dum namque prius tu statuebas iudiciis speculativis non moveri voluntatem, hue tu iterum in voluntatis motionem propositiones universales adducis et inducis, quae tamen a speculativis differre vix asseri possunt.

T. — Attamen, amice carissime, propositiones universales, seu iudicia universalia hue inducta vehementer a propositionibus seu iudiciis speculativis differunt, quibus superius negavimus voluntatem moveri. Ista quippe respiciunt bonum in se et in universalis, ut nempe abstractum a singularibus; illa autem bonum respiciunt et contemplantur ut in omnibus vel saltem in pluribus singularibus distributum: unde alterum ab altero quam maxime differt, ut cuique intuenti patet.

M. — Tu cum philosophia tua difficultates egregie solvis, gratiasque ago maximas. Hanc igitur iterum solve, quae mihi sponte occurrit, videlicet non apparere primo intuitu quomodo conclusio, quae est iudicium particulare, deduci immediate possit ex universalibus.

T. — Et reapse iudicium particulare non immediate et per se ex universalibus deducitur, et per unicum syllogismum, sed mediate, id est mediante alio syllogismo, ita ut v. gr. in exemplo superius allato ad conclusionem practicam revera non deveniam, nisi post conclusionem praedictam: «Ergo eleemosyna est eroganda», subsumam: «Atqui panem vel pecuniam huic pauperi hic et nunc erogare, est eleemosyna: Ergo panis vel pecunia huic pauperi hic et nunc eroganda est».

Unde apparet, ni fallor, quomodo iudicium conscientiae sit conclusio particularis de actibus humanis vel exequendis, vel omittendis.

M. — Quae quasi rerum in partes dissectio maxime mihi arridet, et plurimam rebus ipsis lucem adducere videtur.

Quatuor exinde habentur, te iudice, operationum nostrarum principia, videlicet synderesis, sapientia, scientia, conscientia: quorum tria priora universale

quid enuntiant, dum e contra quartum singulare connotat.

T. — Oppido sane! Id ceterum probe advertatur oportet, egregiam exinde apparere similitudinem, seu melius consonantiam speculabilia inter et operabilia, quam notant nostri veteres. Sicut enim nobis in speculabilibus indita sunt a natura principia quaedam, imprimis contradictionis principium, sine quibus omnes notitiae prorsus ruunt, cum quibus e contra discurrunt ad consequentias, haud secus indita nobis a natura sunt in operabilibus quaedam principia, quorum habitum vocamus synderesim, quandoque etiam legem naturalem, quaeque ad particularia mediantibus aliis principiis quasi descendunt ut motivum simul et regula.

Sicut iterum in speculabilibus principium contradictionis, sic enuntiatum: «Impossibile est idem simul esse et non esse, sub respectu eodem», omnibus sive sapientibus sive insipientibus (exceptis, ut ipsi volunt, nonnullis partium Borealium non attendendis philosophis) inest natura, et quidem immutabile, idem semper et ubique sibi constans, haud secus in operabilibus sumum ex natura habetur principium, videlicet: «Bonum esse faciendum, malum vitandum», quod omnibus semper et ubique inviolate inditur sapientibus et insipientibus, ita ut nonnisi ex aliqua mala phantasia aut mala philosophia quis sese propter malum in se agere fingat, non autem propter aliquod bonum verum aut apparens.

Quae principia non deducuntur ex aliis principiis, sed ex terminorum enuntiatione patent, indeque evidenter dicenda sunt, eoque certiora et immutabiliora apparent, conclusionesque ex se ipsis deductas, in operabilibus sicut et in speculabilibus, exhibent atque diriunt: imo et ipsam syllogismi sive speculativi sive practici maiorem propositionem per se constituunt.

Cetera autem principia minus communia, quae in practicis, ut in practicis sistamus, sapientia et scientia audiunt, quasi priorum conclusiones habenda utique sunt: plus tamen minusve aut excellere, aut effulgere, aut offusari in mente hominum possunt, prout minus aut magis a prioribus elongantur, prout mens hominum vel ingeniosior, vel cultior, vel hebetior fuerit. Inde videmus plures circa praedicti syllogismi eiusdemque practici propositionem minorem vel errare, vel incertiores remanere.

Id tamen adverte, et quidem attente, per principia minus communia, seu sapientiam et scientiam conclusionesque ex ipsis habitas, nihil moveri voluntatem, nisi amor boni in communi, indeque odium mali in communi habeatur et applicetur; eo quod nempe bonum particulare in communi bono continetur, vel proinde malum particulare bono communi contraire perspiciat.

Exinde iterum collige principia quibus regitur propositio maior in syllogismo pratico, esse communis-

sima; principia autem quibus regitur minor propositio minus communia saltem quoad subiectum esse.

M. — Mihi te quam libentissime audienti, carissime magister et amice, occurrit dubitatio de conscientiae natura et indole.

Tu sane cum tuo Doctore retines ac profiteris conscientiam secus ac synderesim, sapientiam, scientiam, quae habitus sunt, non esse nisi actum intellectus, nullimode autem voluntatis.

Quid igitur tibi videtur de variis aliorum doctorum sententiis, contendentium ac profitentium conscientiam mox esse substantiam extra nos existentem, sive communis sit omnium hominum sive propria singulorum, quamque modernistae passim « *subconscientiam* » vocant; mox ex conscientia importari duplē actum, alium nempe ad intellectum, alium ad voluntatem; vel duos habitus innominatos, quorum unus ad intellectum spectat, alijs ad voluntatem.

E. — Ego utique, ut recte suspicaris, cum maioris auctoritatis et antiquioribus sentio: conscientiam nihil aliud esse quam actum rationis humanae sese ad actum exerentis circa bonum particulare exsequendum, vel proinde circa malum particulare vitandum.

Quae sententia experientiae quotidiana consonat prorsus. Ceterae autem definitiones vel mera phantasmatā sunt, vel « postulata » non hypothetica solum, sed et absurdā, quibus conscientiae munus nomine retinetur, re tamen tollitur.

Actus vero conscientiae multiplex erit pro variis officiis: dum enim praeterita acta respicit, mox approbat, accusat, testificatur, remordet, excusat; dum autem praesentia vel futura, obligat, inducit, instigat, prohibet, et sic deinceps.

M. — Siste paulisper, amice carissime. Dum enim tu modernistarum pragmatismum vehementer impugnas, ut audienti patet, eiusdem simul fautor mihi videris; tu enim, modernistarum more, arbitrio conscientiae omnia credis, quae omnia pro libitu, ut lex quasi suprema, iudicat, iubet, prohibet ad nutum. Quod et tu ceterum concedere debes, nisi velis conscientiam libertate sua destitui.

T. — De ista iudiciorum conscientiae libertate fuisis infra dicturi sumus, unde a dicendis hic superdeo. Id tamen contendendum omnino est, scilicet conscientiam non ad libitum iudicare, imperari, prohibere, sed e converso maxima determinatione approbare, vel reprobare, iuxta universaliorum principiorum dictamina, quae ab ipsa nihil pendent, sed ipsi sunt norma et regula.

Neque huiusmodi determinatio libertati officere reputanda est, siquidem voluntas, iudicio conscientiae obsequi vel non obsequi potest, propter alia motiva, quidquid dicit hic et nunc conscientia. Ceteras aliunde rationes infra adferendas hic omitto.

M. — Quid ergo statuendum tibi videtur de variis dictionibus quibus passim designatur conscientia ab

nonnullis primi subsellii auctoribus, qui eamdem tradunt non ut actum sed ut potentiam aliquam, vel ut legem naturalem, ut intellectum ipsum, ut ipsam synderesim, etc.?

T. — Denominationes huiusmodi nonnisi aliqua analogia traduntur. Dicitur enim quandoque syndesis, quia ex syndesi tamquam ex principio summo deducitur actus qui est conscientia; quandoque lex naturalis audit, quia legem naturalem ad particularia applicat; imo obiectum ipsum vocatur conscientia, ubi aperire conscientiam dicimur; demum vocatur intellectus, eo quod sit intellectus actus, prout importat intellectus iudicium de particularibus vel admittendis, vel respuendis. Etsi autem dicatur potentia, habitus, obiectum, principale tamen significatum nihil aliud est quam actus, qui est conclusio practica particularis circa actus humanos.

Id aliunde, si magis libeat, nobis pro intento nostro hic sit satis quod iudicium in practicis bifariam dividitur, in universale nempe et particulare, ita ut iudicium universale minime sufficiat ad voluntatem humanam movendam, sed requiri omnino iudicium particulare quo applicantur ad particularia notitiae universales.

Sed colloquio nostro hodie finem imponamus, infra dicturi de iudicio libero vel non libero, ubi Deus id concesserit.

I. I. B.

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

### *Tricae — Apinae.*

Tricas et Apinas vulgo res fuitiles ac nugatorias Latini dicebant; unde et *tricari* idem ac « *nugas agere* », est apud Ciceronem (*Ad Atticum*, lib. xv). Adagium ab eventu natum. Nam Tricam et Apinam oppida fuisse quondam Apuliae demonstrat Plinius (*Hist. nat.* III, 11) referens Europae sinus: « Diomedes - inquit - ibi delavit gentes Monadorum Dardorumque, et urbes duas, quae in proverbii ludicrum vertere, Apinam et Tricam ». — Stephanus ostendit Tricam urbem fuisse Thessaliae, id nominis sortitam a Trica, Penei filia. — Nonius Marcellus tricas impedimenta et implications interpretatur a pilis quibus involvuntur pulli gallinacei; unde dictum sit *extricare et intricare*. — Lucilius apud eundem *Tricones* appellat, qui nugis homines remoren- tur; et *Tricinus* quaestus pro tardo, seu sicco. — Ceterum quamvis non negaverim in voce adlusum ad pilos, ab oppido dictum proverbium, vero proprius est.

*Spatio deficiente, ad proximum numerum:*

### **De Syllabi Pii PP. X**

**propositione LVI**

Scripsit R. FEL.

# FINE ORBIS APPROPINQUANTE...

Haud frustra quondam sancti cecinere prophetae:  
 " Illa dies veniet, mundus qua cardine preecepit  
 Decidet ac demum procumbet maxima moles  
 Sustentata diu, stabitque caligine caelum  
 Ignibus extinctis atra, lapsuque inopino  
 Et polus et tellus, quidquid mortale peribit...  
 Sidera sideribus concurrent; ignea pontum  
 Astra petent, celeres circum flammeaque micabunt...  
 Hinc violentus enim Boreas erumpet ab antris,  
 Turbidus hinc austus diffundet ab aethere nimbos.  
 Talia dum accendant divini signa furoris,  
 Parcite litigiis, humanas spernite curas,  
 Contemerare manus nolite, Deus vigil alto  
 Praemia magna piiis tribuet scelerumque ministros  
 Multabit poenis, tenebroso in carcere claudens.  
 Hinc vos noxarum pigateat, longoque dolore  
 Plorantes, veniam cuncti prope limina templi  
 Assiduis precibus, mortales, poscite Numen.,  
 Turba tremit dictis, pallescunt ora, salutem  
 Aeternam quisquis meditans sua gaudia linquit...  
 Quid secum fingit? pavidus quid praevidebat illis  
 Vocibus? horrescit quaenam praesagia mortis?  
 Iam cernit trifidos elisos nubibus ignes,  
 Aethera concussum nimbis, et gurgite aquarum  
 Res cunctas rauco permixtas murmure circum...  
 Saecla tamen fugiunt, tenebras lux excipit alma:  
 Tristibus e sulcis succrescent germina vitae;  
 Villicus incurvo glebas exercet aratro,  
 Falceque discindens flaventia frugibus arva  
 Rure suo gaudet, gnatis et coniuge fida.  
 Quando ruet mundus, tota compage soluta?  
 Sidera sideribus concurrent quando? voracis  
 Aestibus et flammae tellus consumpta iacebit?  
 . . . . .  
 Ultima iamque dies miseris mortalibus instat,  
 Ingruit heu toti tempestas horrida mundo!  
 Scriptum est — haud possunt vates nunc dicere falsa —  
 Alite cum cursu fugiet millesimus annus,  
 Horaque bis quinae aetatis suprema sonabit,  
 Machina divulsi desistet motibus orbis...  
 Tunc matutinas aevi candere sequentis  
 Roscida non poterit gradiens Aurora per umbras:  
 Non sol auricomus lucem diffundere ab axe,  
 Non hominum, longe non vox resonare animantium.  
 Omnia mors etenim crudeli funere merget.  
 Vindex ira Dei deformia spectra ferarum,

Grandineos imbre, morbos et tortile fulmen,  
 Bellaque, perniciem celso demittet Olympo.  
 Heu, heu, mortales, gemitus advolvite caelo,  
 Sint procul illecebrae, fraudes, turpisque voluptas:  
 Spernite divitias, funestaque commoda vitae,  
 Collitiem, luxum, ardentes et fronte pyropos.  
 Qui fuerit simplex, tantum caelestia adibit  
 Limina, quique dies casula traduxit egenus.  
 Templa manent, sacras confestim currite ad aedes:  
 Hic superum sator, Omnipotens, ieunia poscit,  
 Vota, precesque, pios sensus, suspiria, fletus.  
 Quae mora tanta tenet? cur non instantia fata  
 Terribilesque minas lacrimis avertere vultis?  
 Tum vero egelidus mixto sudore per artus  
 It tremor, et pulsae saliunt sub pectore venae:  
 Nullus in ore color, rigidi stant vertice crines.  
 Flebilis clamant homines, puerique, puellae  
 Vocibus, inque viis marmor ceu quisque rigescit...  
 Tempus adest, vatum iam iam praedicta sacrorum  
 Implentur, celeri et cursu decreta supernis  
 Pernicies aulis concrescit spicula vibrans.  
 Quid fit? spernuntur nummi titulique superbi,  
 Templa petunt omnes, nigris sub vestibus, atque  
 Arribus exercent stimulis et verbere membra.  
 Iamque negant somnum multi sibi, stragula, mensas,  
 Dulce quid immodice captabant faucibus ante,  
 Et cinere aspergunt fusos sine lege capillos.  
 Sunt qui magnificas linquant, formidine victi,  
 Aedes et surdi precibus votisque suorum  
 Effugiant procul, in rupes nemorumque recessum.  
 Hunc iuvat aut saetis aut aspro includere villo  
 Corpus et insomnes solidae per tempora noctis  
 Invigilare, solo summisse poplite fixo.  
 Deducunt alii pompam comitante caterva  
 Funereum populi; passim simulacra feruntur  
 Per vicos, camposque, vias; altaria thure  
 Fumant et donis amplis ornantur in horas.  
 " O Deus Omnipotens, nostris illabere votis:  
 Siste minis, in nos meditatae parce ruinae.  
 Improba mens ausa est - miserum! - tua temnere iussa  
 Et leges violare tuas; peccata, fatemur,  
 Fecimus, heu fratrum temerata est sanguine dextra!  
 Tu tamen, aeternus Genitor, nos eripe morti,  
 Parce tuis famulis, mitisque orantibus adsta.,  
 Talia fata, secat demens sua tergora flagris  
 Turba; comis vulsis nigros discindit amictus

Infectisque genis tristi pallore vagatur.  
*Auri sunt autem donent qui pondera templis,*  
*Gemmarum textus, quidquid complectitur arca.*  
*Invidet en locuples misero, laudatur egestas,*  
*Culcita pervili mutatur plumea strato.*  
*Quidne iuvant nummi, quid lata palatia prosunt,*  
*Si mors impendens componet cuncta sepulchro?*  
*Felix paupertas! cui pax delapsa per auras*  
*Sidereo semper perfundit nectare vitam!...*  
*His iter ingressus dives Florentius ille*  
*Sensibus, aulaeis cuius penetralia fulgent,*  
*Coenobium pergit, saxoso vertice structum.*  
*Mox ubi pervenit, conspersus pulvere crines,*  
*— Barba senilis erat, propexa ad pectus, et orbis*  
*Luminis humentes, facies contractaque rugis;*  
*Nodoso incumbit baculo, persquallida vestis*  
*Protegit et saccus curvis dependet ab armis —*  
*Sic tremulis labiis loquitur conversus ad alnum*  
*Rectorem, senium vires cui corpore servat:*  
*“ O venerande pater, divini iussa magistri*  
*Qui sequeris Christumque foves in pectore Iesum,*  
*Supplex en adsum, clemens succurre labanti.*  
*Multarum rerum dominus, castella per urbes*  
*Possideo quotquot cernis, gemmantia prata*  
*Ruraque, sublimes tectis regalibus aedes*  
*Marmoreis ubi vasta nitent coenacula crustis.*  
*Complures parent famuli, mandata facessunt,*  
*Me gens patricia veneratur origine cretum...*  
*Ast ego divitias, torques gemmasque relinquio,*  
*Ut liqui dulces natos et tecta parentum.*  
*Cuncta tibi dono, pater, haec mea: sume benignus*  
*Sospitet o utinam, magna properante ruina,*  
*Me summus Rector caelique admittat ad aulam! ,*  
*Dixerat et dextra pulsavit pectus anhelum.*  
*Tunc pater ad superas auras sua brachia tendens,*  
*Huc illuc oculos volvit suspensus et errat:*  
*Iam modo prolixae deflectit vellera barbae,*  
*Iam modo suspirans trahit imo pectore vocem;*  
*Denique complexu cingit colloque lacertos*  
*Dat miseri, nondum effuse qui flere quiescit.*  
*“ Sospes eris, fili, patienter et accipe sortem.*  
*Grata Deo superisque nimis quae sponte dedisti.*  
*Ne timeas, inquit, vitam commissa luendo*  
*Caelesti in patria dabitur tibi carpere laetam... ,*  
*His fidens dictis surgit Florentius inde,*  
*Laetitia exsultat, dextrae patris oscula figit*  
*Inclinansque caput sancto discedit ab ore.*  
*Sic ultro pauper factus ditissimus, ecce*  
*Fusus humili et stipulas inter projectus agrestes,*  
*— Heu heu! cui stat scabra silex supposta iacenti! —*  
*Decumbit luctuque trahit sua tempora vitae.*

Ille plagas vero securus inambulat altas,  
*Affigitque polo mentem sensumque sequacem,*  
*Atque animae vegetas per amica silentia vires.*  
*Hoc tenet exemplum complures: sordida egestas*  
*Eligitur, longique dies labuntur eremo.*  
*Tunc homicida latens silvis raptorque cruentus*  
*Abstinet insidiis, furtis, linquitque cavernas.*  
*Quos animos atrox feritas duraverat ante,*  
*Relligio flectit, pietas et reddit amicos.*  
*Mutantur mores: regnat clementia tantum.*  
*Sontibus et iugulo dignis ignoscitur ultro,*  
*Non locus est odiis, bellum pax Marte tremendum*  
*Iam premit ac sociat varias concordia gentes.*  
*Sic inter querulas voces moestumque timorem*  
*Ecce dies mundi perituri summa propinquat...*

Vesper adest, tristis properant iam fata diei.  
*Ingeminat voces populus, clamatque gemitque.*  
*Miscentur lacrimae, tunduntur membra flagello.*  
*Heu nostri miserere Deus, diverte periculum!*  
*E casulis, campisque viis it clamor ad astra.*  
*Congesti in plateis, homines se voce salutant*  
*Extrema, nutant oculis, frendentque manentque*  
*Ossea spectra velut tabidaeque simillima morti.*

Nox tandem venit et tenebrae densantur opacae,  
*Ultima nox — miserum! — qua caelis astra micabunt!*  
*Non somnum suadent tenebrae, non umbra quietem,*  
*Non oculi languent fessi victique sopore.*  
*Dulce reflant aurae, rutilum vehiturque per axem*  
*Delia, fulgentemque implet longinquior orbem.*  
*“ Finis adest, longe graditur iam crassa caligo:*  
*Auster agit pluvia foetas tonitruque procellas...*  
*Commorimur! quisquis tacito sic corde volutat... ,*  
*Interea lunae tremulis iubar ignibus ardet,*  
*Per noctem blandis spirant efflatibus aurae*  
*Astra que caeruleo volvuntur lucida mundo.*  
*Hora fugit, vigiles et nox abitura labores*  
*Iam vocat: en vasto tollens se gurgite Phoebus*  
*Terrarum caelique plagas illuminat omnes...*  
*Num tellus collapsa ruit? num decidit orbis?*  
*Horridaque et monstris alte patuere barathra?*  
*Heu timor! heu falsis per inania somnia captia*  
*Mens hominum misereque superstitionis figuris!*  
*Ipsa suis haeret tellus radicibus et stat*  
*Mole sua fundata: polus dispendit et ipse*  
*Numina stellarum laetis splendentia flammis*  
*Deliciasque suas praebet Natura creatrix.*  
*Hinc, homines, animi pavidas dimittite curas*  
*Perque dies nullis stimulis mens conscientia pungat.*


MARCUS GALDI.

# PASSIO CHRISTI IN SCENIS ACTA AD OBERAMMERGAU

Trans Monachium, Bavorum urbem caput, meridiem versus, trium horarum itinere ab urbis moenibus, Oberammergau oppidum prima Alpium iuga, in Amberg fluminis valle, circumeunt. Incolae montani plerumque, moribus integerrimi, viribus praevalidi, bis millia numerum nondum attingunt; domus, quas inhabitant, humiles, complanato tecto, ingentibus heic vel illis saxis compresso, laetis, vel sacrarum imaginum, vel agrestium, coloribus renident. Lignea sculptilia oppidanis fere omnibus ars, qui cruces, sacras imagines, Rosarii granulos indesinenter, mira calliditate, effingunt sedulaque patientia scalpunt. Chronicon exstat, tribus fere

torta via, sese in portas immiserit, ut feriis adesset. Vir autem morbi tabe correptus, eam statim civibus communicavit, quorum brevi quatuor et viginti, dira morte confecti, occubuerunt. Tunc votum Deo universa rusticorum plebs vovit, ut flagellum a suis finibus arceret, sese filios nepotesque, in ultimum usque aevum, publicum ludum quotannis habituros, in finitimarum bonum exemplum. Excepit benigne Deus supplicum preces, qui inde per quadraginta annos, ad annum usque 1680, promissa fidelitate exsolverunt.

Attamen, ob ingentem pecuniam quam ad solemnes ferias impendere opus erat, decimo quoque anno eas




ab hinc saeculis redactum, anno videlicet 1620, quo iam Oberammergau incolae, prouti arte scalpendi ligna peritissimi, magnis laudibus cumulantur. Quae quidem pietatis obiecta, simplici atque ingenua arte efficta, mercatores in Austriam atque in Tirolenses deferunt, et, non sine luero, venalia faciunt. Contigit inde rusticis diffusa laus; at eorum fama minus late ferme insinuisset, absque sacro *Passionis mysterio* (*Passionsspiel*) quod ipsis in decennium solemne est, et his diebus agitur.

Rei antiquitas minus abest quam quis forte crediderit; origines contra notissimae sunt hisque praesertim diebus cuique compertae. Anno 1633 teterrima pestis lues Bavariam depopulabatur. Oberammergau oppidum, montibus circum oclusum, nullum adhuc morbi detrimentum expertum fuerat, neque extraneum ullum suis in finibus morari haec de causa tolerabat. Accidit autem, inopinato, ut die dedicationi oppidani templi sacro (*Kermesse*) operarius quidam e finitimis gentibus, de-

haberi deinde constitutum est; immo anno 1780 Bavariae, qui dicebatur, Elector oppidanis privilegio adscriptis, ut, reliquis omnibus civibus exclusis, ipsis tantum ius earum solemnitatum esset. Confirmavit haec Iosephus rex, anno 1810, iterumque Ludovicus I et II, qui ei successere, quorum alter regionis solitudinem carissimam habebat, et Linderhof palatium decem millia passuum ab oppido sibi constituerat.

At longe vetustiores libri, qui scenicam actionem ad amussim describunt; quorum alterum manu scriptum in Nationali Monachiensi bibliotheca Hartmann doctor reperiit, hoc titulo *Tragedj auss der heyligen Schrift, von dem Leyden und Sterben, auch die Aufferstehung unseres Herren Jesu Christi*, quod est *Tragoedia e Sacris Scripturis deprompta circa passionem et mortem et resurrectionem Domini nostri Jesu Christi*. Est alter a quodam Sebastiano Wild sarcinatore conflatus, quem Augsburgenses cives in ludimagistrum deinde, atque in cantorum suae civitatis collegium adsciverunt, ita ut

**Dramatis personae ad Oberammergau.**

(A. LANG, qui Christi partem agit, in officina sua fictili operi intentus).

plane intelligatur qua de causa eius sermo versibus distinguatur more cantorum descriptis, qui media aetate floruerunt.

Has vero versiones aliam cum alia in Ettalico monasterio Patres a Societate Iesu composuerunt, atque vulgarunt, etsi deinde, quoties iterata actio est, toties multa revisa, multa addita, dempta atque immutata fuerint.

Praecipuum revisionem operis tradunt a Ioanne Aelbl sacerdote peractam, qui primus hominis animam cum Iesu colloquenter invexit. Saeculo autem XVIII Ferdinandus Rosner e Societate Iesu « exhibitionem » addidit, sive viventes, ut aiunt, tabulas ex Antiquo Testamento depromptas, itemque sex geniorum chorum, quem choripheus moderabatur.


Dubia et quaestiones, saeculo XVIII delabente, circa sacras huiusmodi actiones excitata, multa praecidi abrardique expostularunt, quousque anno 1811 et 1815 Ottmar Weiss, Ettalii parochus, rem radiciter reformavit, Rocho Sedler oppidi ludimagistro adiuvante, qui musices concentus in volumine adnotavit. Fuit autem princeps Weissii consilium, ut Christi passionem per scenicas actiones exhibens, iuxta Evangelii dicta ad unguem faceret, tabulasque ex Vetere Testamento excerptas singulis praemitteret, quas geniorum chorus gestu et vocibus commentaretur. In sermone autem soluta oratio antiquis versibus suffecta est, atque huiusmodi revisio, etsi Deisenberger parochus nonnulla et ipse innovaverit, integra tamen vel hodie exhibetur.

Sunt autem in textu pulcherrima multa, sunt et medioria itemque inepta, de quibus libelli innumeri disseruere. At immutationum eius historiam, religionis pietatisque sensus, prouti in montanis illis populis diutissime viguere, perbellie comitantur, qui a decennio omnes incumbunt, maxima fide ac studio, ut sacrae actioni sese, moderantibus parochis, praeparent, sacrorumque librorum spiritu imbuant.

Theatrum immane quatuor millia spectantium multitudo patet. Scena, ad decimi octavi saeculi stilum exstructa, quinque in partes dividitur, quarum media, velario oclusa, cum circumstantibus componi brevi potest; sunt autem ad latera Pilati et Caiphae domus. Proscenium latissimum choro et multitudini sternitur; Alpium denique candidi vertices, nitidumque caelum, parietem ultimam scenae praebent.

Actio a nona usque hora ad decimam septimam producitur, vix mora unius horae ad meridiem intermissa, et quatuor in partes distinguitur, in decem et octo actus divisas, quibus et duplex prologus adiicitur. Prima ex ingressu Domini in Ierusalem usque ad capturam in Gethsemani, secunda usque ad examen coram Anna Pontifice, tertia usque ad Christi mortem res complectitur, quarta a resurrectione ad ascensionem.

Laudaverunt multi quanto studio quantaque diligentia Bavrorum rustici suis personis gerendis intendant, qui iam sese existimare videntur haud quidem fideles tantum votum maiorum explentes, sed veluti electum quedam populum inter incredula atque impia saeculi sceleris ad fidei missionem gerendam vocatum. Inde quicumque tum ex veteris, tum ex novi orbis regionibus ad Oberammergau hoc tempore advenerint, sive fideles sunt, sive increduli, Passionis huiusmodi indelebilem memoriam asservant.

**Dramatis personae ad Oberammergau**

Petrus Apostolus.

## IACOBI BALMESII

### CENTENARIA COMMEMORATIO

Vici, clarorum virorum natalis humi, quinto kalendas Septembres anni millesimi octingentesimi decimi, primae limina lucis Iacobus Balmesius init. Primo ergo exeunte saeculo a nativitate viri, qui maximi philosophi firmique sacrae Religionis vindicis nomen iure meritoque sibi acquisivit, ipsum, brevi licet spatio, commemorare in hoc bonarum artium commentario opportunum duxi. Quae enim pro tuenda Religione sacra suffultus fide ac recta innixus ratione exquisite ille edidit; quae circa distinctos humanos ordines gradusque ingeniosus scripsit; quae adversus homines illos qui Deum populosque noxiis doctrinis suo praesertim tempore pegebant, irretorquenda logica, veritatis gratia manifesto in lumine pandendae typis mandavit, aere perennius monumentum ei exegerunt.

\*\*\*


Diversae ius opera, quae in varias translatas linguis patulum percurrent orbem, perlegat quisque, et quod vocetur recte *victor mentium, ignis effulgens, Doctor humanus, Sanctus Pater recentiorum temporum....* sibi satis suadere proprio facilique labore poterit. Animorum namque instinctum penetrare dexter vimque mentalem, in philosophicis rebus, moralibus atque civilibus scholarum perennes is colligit plausus, dum ab ipso, sidereo splendore comitante, inducta norma studium ubique mirifice pascit, et sublimiori intelligentiae, quem sibi potenter attrahit, magnae est admirationi atque amori. Hinc philosophia eius *elementaris et fundamentalis*; hinc *criterium*, a quodam praelarlo Ecclesiae Praesule « codex recti iudicii » iuste nuncupatum; hinc innumerabilia scripta super rebus ad civilia communiaque pertinentibus, quae e studiosae multitudinis manibus, et Statuum rectorum, vera qui rectaque amant, excident nunquam.

\*\*\*

Novatores, caeca captos superbia, licentia indomita favente, a saeculo abhinc decimo septimo praecipue, sacratos mitesque populorum mores funditus perdere, Communitatis ordines delere cunctos, atque alteram, Superni hostem, gentibus mille suadere dolis normam conatos fuisse cuique optime cognitum est. In hisce rerum adjunctis, vecors haereticorum fides, malignitatis pondere nimis gravis, partum exsecrandum in populos, quos *Latinos* vocant, eiicere ita pro viribus nisa est, ut nonnisi

*Agnosticismo*, multiplici contexto errore, eosdem populos universasque gentes nefando impetu sibi vindicatura videretur. In hos Balmesii maxima praesertim eaque victrix contentio.

Namque, alius praetermissis, quae ad illorum temporum historiam pertinent, solvas precor, praeclare lector, cogitationis habenas, dilates intellectus fimbrias et describas apud te in animo excellentiam, egregiosque effectus aeterni Balmesii libri, cui titulus: *Catholicismus cum Protestantismo comparatus*, et indubitanter aeterna grati animi significacione insignem scriptorem Vicensem recoles, at-



Dramatis personae ad Oberammergau.  
Iudas Iscariotes.

que ingenium perenni laude insigne amore dignum libenti animo perpetuo agnosces.

Fulgentissimi enim solis instar, quas tartareus furor mentibus suffundere nitebatur devii erroris tenebras Balmesianus repellit fulgor, ac fatale *Reformatorum* monstrum comminus obterit, insigni atque scientifico splendore in tenebrosa regna profligatum. Ita enim Vicensis corusca stella, face irradians perenni, comminata tot mala longius profundit, ita calore eius sapientium turbae pertrahuntur, ita splendore suo, nullis nubibus cedente, *recti* dotibus propriis ornato, pulchri iuris decus, aequa Fides atque potestas praeluent, ut nonnisi

tetra tenacitas, spreta veritate, procax audeat ac possit.

Unde iure merito Balmesii ingenii acumen miris elatum est laudibus; ecce cur ultiro ipsum, lumen eximum assiduo daturum, dicunt grata Fides ac Scientia; ecce cur ipsum iura dantem perenni laude populi ferent.

\* \* \*

Quae quum ita sint, nemini mirandum non accolas tantum divino quasi eius afflatu duci, sed omnes etiam litteras studiis colentes; ita ut longos communi consensu cumulare festinent honores ad splendidius festum centesimi anni nativitatis primi *apologistae* saeculi decimi noni agendum, et ad *philosophi Vici*, per antonomasiam vocati celebrandam excellentiam. Debitae suffragaturus laudi humanissimi Magistri, cuius memoriam nulla temporum fuga delebit, *Coetus Apologeticus* ex omnibus Universi partibus, ab initio creatus est. Ad cuius quidem conventus, a die septima ad undecimam usque Septembris mensis celebrandos, dignior rem splendorem consequendum, plurimorum Episcoporum adhaesiones atque opportunissimae litterae, quae doctrinae amatoribus magno incitamento fuerunt, eximum patrocinium favoremque praestitere; cui propterea illustrissimi viri Urbis et orbis nomen iam laetissimi dederunt.

Dum denique a solis ortus cardine ad ultimum usque terrae limitem, populorum debitas laudes ac meritos honores erga virum exposcimus, qui ipsis inextinguibili lumini est, tum circa Religionem, tum circa Scientiam, tum etiam circa res publicas; vindici Fidei ac morum, sideri veritatis radios semper vibranti, almae pacis satori, firmissimo item ac dulcissimo sacerdoti, aeternae gloriae hymnum ipsi nos praecinimus.

Scrib. Vici Ausetanorum.

I. FONTS.



## ACTA PONTIFICIA

**SS. D. N. PI<sup>I</sup> PP. X litterae encycliche ob sollemnem Caroli Borromei commemorationem, abhinc annos CCC in Sanctorum album relati.**

(Cfr. num. sup.)

In hoc tam nefario stultoque bello, cui commovendo dilatando socii et adiutores potentes accedunt interdum vel ipsi, qui Nobiscum facere Nostrasque tueri res deberent prae ceteris; in forma errorum adeo multiplici vitiorumque illecebri tam variis, quibus utrisque haud pauci etiam e nostris blandiuntur, capti specie novitatis ac doctrinae, aut inani spe ducti, Ecclesiam posse cum aevi placitis amice componi, plane intelligitis, Venerabiles Fratres, nobis esse strenue obsistendum, iisdemque nunc armis excipiendum impetum hostium, quibus olim usus est Borromeus.

Primum igitur, quoniam ipsam, veluti arcem, impetunt fidem, vel eam aperte denegando, vel impugnando subdole, vel doctrinae capita pervertendo, haec a Carolo saepe commendata meminerimus: « Prima et maxima Pastorum cura versari debet in iis quae ad fidem catholicam, quam S. Romana Ecclesia et colit et docet, et sine qua *impossible est placere Deo*, integre inviolateque servandam pertinent » (1). Et rursus: « In eo genere... nullum tantum studium, quantum certe maximum requiritur, adhiberi possit » (2). - Quapropter « haereticæ pravitatis fermento », quod nisi cohabeatur *totam massam corruptum*, hoc est pravis opinionibus ementita specie irrepentibus, quas in unum collectas *modernismus* profitetur, sanitas est opponenda doctrinae et reputandum cum Carolo: « quam summum in haeresis crimine profligando studium et cura quam longe omnium diligentissima episcopi esse debeat » (3).



**Dramatis personae ad Oberammergau.**

Ioannes Apostolus.

Haud opus est equidem cetera verba referre sancti viri commemorantis Romanorum Pontificum sanctiones, leges, poenas in eos antistites constitutas, quibus purgandae diocesis ab « haereticæ pravitatis fermento » esset cura remissior. Nonnihil tamen iuverit ad ea quae inde concludit diligenter attendere. « Proinde, inquit, in ea perenni soliditate perpetuaque vigilia episcopus versari in primis debet, ut, non modo pestilentissimus ille haeresis morbus nusquam in gregem sibi commissum irrepatur, sed omnis plane suspicio ab eo quam longissime absit. Si vero fortasse, quod pro sua pietate et misericordia Christus Dominus avertat, irrepsert, in eo maxime elaboret omni ope, ut quam celerrime depellatur: quique ea labe infecti erunt, vel suspecti, cum illis agatur ad canonum sanctionumque pontificiarum praescriptum » (4).

(1) Conc. Prov. I, sub initium. — (2) Conc. Prov. V, Pars I. — (3) Ibid.

— (4) Conc. Prov. V, Pars I.

Verum nec propulsari possunt errorum contagia nec praecaveri, nisi in recta cleri populi institutione pars curarum ponatur maxima. Nam *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi* (1). Veri autem omnium auribus inculcandi necessitas nunc magis imponitur, quum per omnes reipublicae venas, atque etiam qua minime crederes, serpere cernimus malum virus; adeo ut ad omnes hodie pertineant adductae a Carolo causae hisce verbis: « Haere-  
« tics finitimi nisi in fidei fundamentis firmi fuerint ac sta-  
« biles, summopere verendum esset, ne forte ab eis in ali-  
« quam impietatis ac nefariae doctrinae fraudem facilius  
« adducerentur » (2). Nunc enim, expeditioribus itineribus, quemadmodum ceterarum rerum, ita etiam errorum sunt aueta commercia, projectisque ad licentiam cupiditatibus, in prava societate versamur, ubi non est veritas... et non est scientia Dei (3); in terra quae desolata est... quia nullus est qui recognitet corde (4). Quamobrem Nos, ut Caroli verba usurpemus: « multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut « omnes ac singuli Christi fideles in fidei christianaे rudi-  
« mentorum institutione erudirentur » (5); eademque de re, tamquam de negotio gravissimo scripsimus Encyclicas Litteras (6). Etsi vero nolumus et illa Nobis aptare, quibus inexplebili desiderio flagrans Borromeus queritur, « parum « hue usque profecisse tanta in re »; nihilominus eadem, qua ipse, « negotii periculique magnitudine adducti », addere stimulos velimus omnibus, ut, Caroli similitudinem arripientes, pro suo quisque munere aut viribus, in christianaë restauracionis opus conspirent. Quare meminerint patres familias ac domini, quo studio pastor ille sanctissimus eosdem constanter monuerit ut liberis, domesticis, famulis addiscendae christianaë doctrinae, non solum copiam facerent, sed etiam onus imponerent. Clericis pariter memoriae excidat, in fidei rudimentis tradendis a se operam dannam esse curioni; huic vero studendum, ut eiusmodi scholae suppetant plures, christifidelium numero ac necessitatibus et magistrorum probitate commendabiles, quibus adiutores adsciscantur honesti viri aut mulieres, prout Mediolanensis ipse praescribit antistes (7).

Christianaë huius institutionis aueta necessitas, quum ex reliquo nostrorum temporum morumque decursu eminet, tum vero potissimum ex publicis discedendi ludis, omnis religionis expertibus, ubi sanctissima quaque rideri voluptatis loco fere dicitur, aeque pronis ad impietatem et magistrorum labiis et auribus auditorum. Scholam dicimus, quam *neutram*, seu *laicam* per summam iniuriam appellant, quum non sit aliud nisi tenebriscaœ sectae dominatus praepotens. Novum hoc praeposteræ libertatis iugum magna quidem voce et bonis lateribus denuntiasti vos, Venerabiles Fratres, praesertim in locis ubi audacius proculata sunt iura religionis ac familiae et oppressa naturae vox imperantis ut adolescentium canori fideique parcatur. Cui calamitati ab iis illatae, qui, quam ab aliis oboedientiam exigunt, eandem supremo rerum Domino recusant, quantum in Nobis est medendum rati, auctores fuimus ut scholae religionis opportune per urbes instituerentur. Quod opus quamquam hactenus, adnitentibus vobis, satis bene prospere processit, nihilominus magnopere expetendum est ut in dies latius proferatur, hoc est ut eiusmodi magisteria et pateant ubique complura et praeeceptoribus abundant doctrinae laude vitaeque integritate commendatis.

Cum hac primordiorum saluberrima disciplina valde coniunctum est officium sacri oratoris, in quo memoratae virtutes multo magis requiruntur. Itaque Caroli studia et consilia provincialibus in Synodus ac dioecesanis eo potissimum

fuere conversa ut concionatores fingerentur, qui in ministerio verbi versari sanete atque utiliter possent. Quod idem, ac forte gravius, quae modo sunt tempora postulare a nobis videntur, quum tot hominum nutet fides, nec desint qui, captandæ gloriolæ cupidine, ingenio aetatis indulgeant, adulterantes verbum Dei, vitaenque cibum subducentes fidelibus.

Quamobrem summa vigilancia cavendum nobis est, Venerabiles Fratres, ne per vanos homines ac leves vento pascatur grec; sed ut vitali alimento roboretur per ministros verbi, ad quos illa pertinent: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: reconciliamini Deo* (1); — per ministros et legatos non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes semetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo (2), — operarios inconfusibiles tractantes verbum veritatis (3). Nec minus usui nobis erunt normae illae sanctissimae maximeque frugiferae, quas mediolanensis antistes, Paullinis verbis expressas, commendare solebat fidelibus: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis* (4).

Ita sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio (5), non solum ad fidei conservationem ac tutelam adducet, sed etiam ad virtutum proposita mire animos inflammabit; quia *fides sine operibus mortua est* (6), et non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur (7).

Atque hac etiam in re cernere licet, utriusque instauracionis quam sit ratio dissimilis. Nam qui falsam propugnant, ii stultorum imitati inconstantiam, praecipi cursu solent ad extrema decurrere, sive fidem sic efferentes, ut ab ea recte agendi necessitatem seiungant, sive in sola natura excellentiam omnem virtutis collocantes, remotis fidei ac divinae gratiae praesidiis. Quo fit ut, quae a naturali honestate ducuntur officia nihil sint aliud nisi simulacra virtutis, nec diurna illa quidem, nec ad salutem satis idonea. Horum igitur actio, non ad restaurationem disciplinae, sed ad fidei morumque eversionem est comparata.

Contra qui ad Caroli exemplum, veritatis amici minime fallaces, salutari rerum conversioni student, hi extrema devitant, neque certos excedunt fines, quos ultra nequit instauratio ulla consistere. Etenim Ecclesiae eiusque Capiti Christo firmissime adhaerentes, non modo inde robur vitae interioris hauriunt, sed exterioris etiam actionis metiuntur modum, ut sanandæ hominum societatis opus tuto aggreditur. Est autem proprium divinae huius missionis, in eos perpetuo transmissae qui Christi legatione functuri essent, *docere omnes gentes*, non solum ea quae ad credendum, sed etiam quae ad agendum pertinerent, hoc est, uti Christus edixit: *servare omnia quaecumque mandavi vobis* (8). Ipse enim est *via, veritas et vita* (9), qui venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (10). Quia vero officia illa retineri omnia duce tantum natura est difficillimum, quin etiam multo positum superius quam ut humanæ vires ipsae per se consequi possint; idcirco Ecclesia magisterio suo adiunctum habet christianaë regimen societatis eiusque ad omnem sanctitatem instituendae munus, dum per eos qui pro suo quisque statu et officio sese illi ministros adiutores praebent, apta et necessaria salutis instrumenta suppeditat. Quod plane intelligentes verae instauracionis auctores, non ii surculos, praeservandæ radicis gratia, coercent, hoc est, non fidem a vitae sanctitate seiungunt, sed utramque alunt foventque halitu caritatis, quae est vin-

(1) Rom. x, 17. — (2) Cone. Prov. V, Pars I. — (3) Os. iv, 1. — (4) IEREM. XII, 11. — (5) Cone. Prov. V, Pars I. — (6) Encycl. « Acerbo nimis, » die xxv m. Aprilis MDCCCV. — (7) Cone. Prov. V, Pars I.

(1) II Cor. v, 20. — (2) II Cor. iv, 2. — (3) II Tim. II, 15. — (4) I Thess. II, 13. — (5) Hebr. IV, 12. — (6) Jacob. II, 26. — (7) Rom. II, 13. — (8) MATTH. XXVIII, 18, 20. — (9) IOAN. XIV, 6. — (10) IOAN. X, 10.

culum perfectionis (1). Idem, dicto audientes Apostolo, depositum custodiunt (2), non ut gentibus notitiam eius occulant lumenque subducant; sed quo deductos ex eo fonte veritatis ac vitae saluberrimos rios latius recludant. In eaque copia doctrinam ad usum adiungunt, illa utentes ad praeripendam circumventionem erroris, hoc ad praecpta in mores actionemque vitae deducenda. Quamobrem instrumenta omnia ad finem vel apta vel necessaria comparat, quum ad extirpationem peccati, tum ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi (3). Huc sane spectant Patrum et Conciliorum statuta, canones, leges; huc adiumenta illa doctrinae, regiminis, beneficentiae omne genus; huc denique disciplina et actio Ecclesiae universa. Hos fidei virtutisque magistros intentis oculis animoque intuetur verus Ecclesiae filius, cui sua ipsius emendatio proposita est atque aliorum. His auctoribus, quos cerebro memorat, in instauranda Ecclesiae disciplina nititur Borromeus; ut quum scribit: « Nos veterem sanctorum Patrum « sacerorumque Conciliorum consuetudinem et auctoritatem, « in primis oecumenicae Synodi Tridentinae secuti, de iis « ipsis multa superioribus nostris Conciliis Provincialibus « constituiimus ». — Idem ad consilia publicae corruptelae coercendae adductum se profitetur « et sacerorum canonum « iure et sacrosanctis sanctionibus, et Concilii in primis Tridentini decretis » (4).

His non contentus, quo sibi melius caveret ne forte ab ea norma unquam discederet, a se statuta in Synodis provincialibus ita fere concludit: « Omnia et singula quae a « nobis in hac provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua « debemus oboedientia et reverentia, auctoritati ac iudicio « Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et « magistrae, semper emendanda et corrigenda subicimus » (5). Quam quidem voluntatem ostendit eo propensiorem, quo in dies magis ad actuosae vitae perfectionem grassabatur; nec solum quamdui cathedram Petri occupavit patruus, sed etiam sedentibus, qui ei successerunt, Pio V et Gregorio XIII, quibus quemadmodum strenue suffragatus est ad pontificatum, sic in rebus maximis validum se socium adiunxit eorumque exspectationi cumulate respondit.

Potissimum vero ipsum voluntati est obsequutus instruendis rebus ad propositum sibi finem idoneis, hoc est ad sacrae disciplinae instaurationem. Qua in re prorsus abfuit ab illorum ingenio, qui speciem studii fervidioris imponunt contumaciae suaे. Itaque, incipiens *iudicium a domo Dei* (6), primum omnium cleri disciplinae ad certas leges conformandae animum adiecit; cuius rei causa sacri ordinis alumnorum Seminaria excitavit, sacerdotum congregations, queis nomen *oblatis*, instituit, religiosas familias tum recentiores adscivit, concilia coegit, quae situs undique praesidiis coemptum opus munivit auxitque. Mox emendandis populi moribus haud remissorem admovit manum, sibi dictum reputans quod olim prophetae: *Ecce constitui te hodie... ut evellas et destruas, ut disperdas et dissipes, et aedifices et plantes* (7). Quare bonus pastor ecclesias provinciae ipse per se nec sine magno labore lustrans, arrepta similitudine divini Magistri, *pertransit benefaciendo et sanando* gregis vulnera; quae passim reprehenderet incommoda, sive ex inscritia sive ex neglectu legum profecta, tollere atque eradere summa ope contendit; opinionum pravitati et exundanti cōeno libidinum quasi aggerem obiecit a se apertos puerilis institutionis ludos et epheborum convictus; auctas, quas in Urbe primum excitatas noverat, consociationes Mariales; reclusa orbitati adolescentium hospitia; mulierculis periclitantibus, viduis, aliisque, tum viris tum feminis, egenis aut morbo

(1) Coloss. III, 14. — (2) I Tim. vi, 20. — (3) Eph. IV, 12. — (4) Cone. Prov. V, Pars. I. — (5) Cone. Prov. VI sub finem. — (6) I Petr. IV, 17. — (7) Ier. I, 10,

seniove confectis, patefacta perfugia; pauperum tutelam ab impotentia dominorum, ab iniquo foenore, ab exportatione puerorum, aliaque id genus quamplurima. Haec autem sic praestitit, ut ab eorum consuetudine toto caelo abhorret, qui, in renovanda suo marte christiana republica, omnia cōtent agitantque vanissimo strepitu, divinae vocis immemores: *non in commotione Dominus* (1).

Hac nempe altera nota, prout vos experiendo didicistis, Venerabiles Fratres, veri nominis instauratores distinguuntur a fictis, quod illi *quae sua sunt querunt, non quae Iesu Christi* (2), pronisque auribus excipientes insidiosa dicta ad Magistrum divinum olim conversa: *manifesta te ipsum mundo* (3), superbas iterant voces: *Faciamus et ipsi nobis nomen*. Cuius temeritatis causa, quod etiamnunc fieri saepe dolemus, *ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in proelium* (4).

Contra qui societati hominum ad meliora deducendae sincero animo studet, is *non propriam gloriam quaerit, sed gloriam eius qui misit eum* (6); seque ad Christi exemplum conformans, *non contendet neque clamabil, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; — non erit tristis neque turbulentus* (5), sed *mitis et humilis corde* (7). Hic et probatus Deo erit et salutis fructus consequetur amplissimos.

In eo quoque secernuntur alter ab altero, quod ille, humanis tantum innixus viribus *confidit in homine et ponit carnem brachium suum* (8); hic vero fiduciam omnem in Deo collocat; ab Ipso et a supernis opibus vim omnem et robur expectat, iterans Apostoli verba: *Omnia possum in eo qui me confortat* (9).

Has opes, quarum uberem copiam Christus effudit, vir fidelis in media quaerit Ecclesia ad communem salutem, in primisque precandi studium, sacrificium, sacramenta, quae fiunt *quasi fons aquae salientis in vitam aeternam* (10). Ea omnia inique ferentes qui, transversis itineribus et posthabito Deo, ad instauracionis opus contendunt, nunquam desinunt haustus illos purissimos, sin funditus exsiccare, at certe turbulentos facere, ut christianus grec inde arceatur. Quia in re profecto turpius agunt recentiores ipsorum asseciae, qui speciem quandam religionis nobilioris adhibentes, admiracula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, praesertim sacramenta duo, quibus aut admissa paenitentium expiantur, aut caelesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinae caritatis opus hominum studia restinguiri.

Ita plane se gessit Borromeus, cuius inter cetera hoc scriptum legimus: « Quo maior et uberior est sacramentorum « fructus quam ut eius vis explicari facile possit, eo diligenter et intima animi pietate et externo cultu ac veneratio tractanda ac percipienda sunt » (11). Illa quoque memoratu dignissima, quibus curiones aliasque sacros concionatores vehementer hortatur, ut caelestis alimenti crebram gustationem in pristinam consuetudinem revocarent; quod idem Nos egimus decreto, cui initium: *Tridentina Synodus*. « Ad saluberrimum illum, ait sanctus Antistes, sacrae Eucharistiae frequenter sumendae usum, parochi... et concionatores item quam saepissime populum cohortentur, nascentis Ecclesiae institutis atque exemplis, et gravissimorum Parvum vocibus et uberrima hoc ipso de genere Catechismi romani doctrina, et sententia denique Tridentinae Synodi, quae optaret quidem fideles, in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare » (12). Qua vero mente, quo animo

(1) III Reg. xix, 11. — (2) Philip. II, 21. — (3) Ioan. VII, 4. — (4) I Machab. v, 57, 67. — (5) Ioan. VII, 18. — (6) Isai. XLII, 2 sq.; Matth. XII, 19. — (7) Matth. XI, 29. — (8) Ier. XVII, 5. — (9) Philip. IV, 13. — (10) Ioan. IV, 14. — (11) Cone. Prov. I, Pars II. — (12) Cone. Prov. III, Pars I.

adeundum sit sacrum convivium, docet his verbis: « Populus, « cum ad frequentem SSmi Sacramenti sumendi usum exci- « tur, tum etiam commonefiat, quam periculosem exitio- « sumque sit ad sacram divini illius cibi mensam indigne « accedere » (1). Quam quidem diligentiam postulare videntur maxime haec tempora nutantis fidei et languescentis caritatis, ne forte ex frequentiore usu debita tanto mysterio reverentia minuatur, sed potius in hoc ipso sit causa cur *probet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (2).

Ex iis fontibus dives gratiae vena manabit, unde succum trahant et alantur humanae quoque ac naturales industriae. Nec enim actio christiani viri quae usui sunt et adiumento vitae despiciet, ab uno eodemque Deo, auctore gratiae ac naturae profecta; sed illud valde cavebit, ne in externis rebus bonisque corporis captandis fruendis totius vitae finis et quasi beatitas collocetur. His rebus igitur qui recte ac temperanter uti velit, eas conferet ad animorum utilitatem, Christi obtemperans dicto: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis* (3).

Ordinatus et sapiens hic rerum usus tantum abest ut inferioris ordinis, id est societatis civilis bono aduersetur, ut potius huius eommoda maxime provehat; nec id inani verborum iactatione, qui mos est factiosorum hominum, sed re ipsa et summa contentione, usque ad bonorum, virium, vitaeque iacturam. Cuius exempla fortitudinis praeceteris exhibent sacerorum antistites complures, qui, rebus Ecclesiae afflictis, Caroli ardorem aemulati, divini Magistri ratas efficiunt voces: *Bonus pastor animam suam dat pro oibus suis* (4). Hic quidem, non gloriae cupidine, aut studio partium, aut privati alicuius commodi causa, ad se devovendos pro communis salute trahuntur, sed caritate illa quae *nunquam excidit*. Hac flamma, quae profanos oculos latet, incensus Borromeus, quum ob praestitam lue correptis operam se in mortis discrimen conieciisset, nihilominus praesentibus occurrisse malis non contentus, de futuris etiam sollicitum se sic ostendit: « Omni ratione plane consentaneum est, ut, quemadmodum parens optimus, qui filios unice diligit, cum in praesenti tum in futuro eis prospicit ac parat quae sunt ad vitae cultum necessaria; ita nos paternae charitatis officio adducti, omni praecautione fidelibus provinciae nostrae in hoc Concilio provinciali quinto consulamus pro videamusque deinceps quae experiendo cognovimus pestilentialia tempore, salutaria esse adiumenta » (5).

Eadem haec providentis animi studia et consilia, Venerabiles Fratres, per eam quam saepe commendavimus, catholicam actionem, in rem usumque deducuntur. In partem vero ministerii huius amplissimi, quod officia omnia misericordiae, sempiterno donanda regno complectitur (6), selecti etiam e populo advocantur viri. Qui ubi semel id oneris in se receperint, parati et instructi esse debent ad se suaque omnia plane devovenda pro optima causa, ad obsistendum invidiae, obtrectationi et infenso quoque multorum animo, qui malefactis beneficia repensant, ad laborandum *sicut bonus miles Christi* (7), et currendum *per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum* (8). Acerbum sane luctae genus, sed ad bonum civitatis apprime conducens, etiamsi plenam victoriā remoretur dies.

In his etiam, quae modo dicta sunt, illustria Caroli exempla intueri licet, atque inde sumere quae pro sua quisque conditione imitetur et quibus animum erigat. Etenim quem et singularis virtus et mira solertia et effusa caritas adeo spectabilem effecerunt, nec ipse tamen alienam sibi sensit hanc legem: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu,*

*persecutionem patientur* (1). Itaque quod asperioris vitae sectaretur genus, quod recta semper et honesta retineret, quod incorruptus legum iustitiaeque vindex exsisteret, hoc ipso primorum in se invidiam collegit; reipublicae gerendae peritorum vafris artibus est obiectus; magistratus habuit infensos; in optimatum, cleri populique suspicionem venit; flagitosorum denique hominum capitale odium sibi conflavit, ad necem usque petitus. Quibus omnibus, quamvis miti esset suavique indole, invicto animo restitit.

Nec modo nihil cessit in iis quae fidei ac moribus exitio forent, sed ne postulationes quidem exceptit adversas disciplinae aut fidi populo graves, etiamsi allatas, ut creditur, a rege potentissimo et ceteroquin catholico. Idemque memor verbi Christi: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo* (2), atque apostolorum vocis: *oboedire oportet Deo magis quam hominibus* (3), non de causa tantum religionis optime meruit, verum etiam de ipsa societate civili, quam insanientis prudentiae poenas luentem, commotisque suapte manu seditionum fluctibus paene submersam abduxit certissimae morti.

Eadem sane laus et gratia debebitur catholiceis huius temporis viris eorumque strenuis ducibus episcopis, quibus in utrisque nullae officiorum partes, quae civium sunt, desiderari poterunt unquam, sive agatur de servanda fide ac reverentia dominis etiam dyscolis iusta praeipientibus, sive de ipsorum iniquis imperiis detrectandis, aequa remota tum procaci licentia delabentium in seditiones ac turbas, tum servili abiectione excipientium quasi sacras leges impia statuta pessimorum hominum, qui mentito libertatis nomine iura omnia pervertentes, durissimam imponunt servitatem.

Haec nempe in conspectu terrarum orbis et in media luce praesentis humanitatis geruntur penes quandam potissimum gentem, ubi principem sibi sedem constituisse videtur *potestas tenebrarum*. Quo praepotenti sub dominatu iura omnia filiorum Ecclesiae miserrime proculcantur, extincto penitus in reipublicae rectoribus omni sensu magnanimitatis, urbanitatis ac fidei, quibus virtutibus eorum patres, christiano titulo insignes, tamdiu inclaruerunt. Adeo liquet, concepto semel in Deum et in Ecclesiam odio, retro sublapsa referri omnia, et ad antiquae libertatis ferociam, seu verius ad crudelissimum iugum, per unam Christi Familiam eiusque in vectam disciplinam depulsum cervicibus, fieri cursum praecepitem. Aut, quod idem significavit Carolus, adeo est « certum atque exploratum, nulla alia re Deum gravius vius offendi, nullaque ad vehementiorem iram, quam haec resum labore provocari; nihilque rursus ad provinciarum regnorumque interitum maiores vires habere, quam tetricam illam pestem » (4). Quamquam multo etiam funestior existimanda est hodierna conspiratio ad christianas gentes ab Ecclesiae sinu avellendas. In summa enim dissensione sententiarum ac voluntatum, quae propria nota est aberrantium a vero, in una re inimici consentiunt, hoc est in pertinaci iustitiae ac veritatis oppugnatione; cuius utriusque quia custos est ac vindex Ecclesia, in hanc unam confertis ordinibus impetum faciunt. Cumque se neutrī in partibus esse, aut etiam causam pacis fovere dictent, melitū quidem verbis, at non dissimulatis consiliis, nihil aliud revera agunt, nisi ut insidias locent, addentes damno ludibriū, fraudem violentiae. Novo igitur certaminis genere per hos dies christianum impetratur nomen; belli moles conflatur longe periculosior ac pugnae antea pugnatae, ex quibus tam amplam collegit gloriam Borromeus.

Inde exempla nobis omnibus ac documenta sumentes, pro rebus maximis, quibus et privata et publica salus continetur, pro fide ac religione, pro sanctitate publici iuris,

(1) Conc. Prov. IV, Pars II. — (2) I Cor. xi, 28. — (3) Luc. xii, 31.; MATTH. vi, 33. — (4) IOAN. x, 11. — (5) Conc. Prov. V, Pars II. — (6) MATTH. xxv, 34 sq. — (7) II Tim. ii, 3. — (8) Hebr. xii, 1, 2.

(1) II Tim. iii, 12. — (2) MATTH. xxii, 21. — (3) Act. v, 29. — (4) Conc. Prov. V, Pars. I.

alacri erectoque animo dimicabimus, dolenda quidem necessitate compulsi, sed suavi simul freti fiducia, omnipotentem Deum tam gloriosa in acie militantibus victoram depropreaturum. Cui fiduciae robur addit Caroliani operis producta ad hanc usque aetatem vis et potentia, sive ad intemperantiam ingeniorum compescendam, sive ad obfirmandum animum in proposito sancto instaurandi omnia in Christo.

Licet nunc, Venerabiles Fratres, iisdem verbis dicendo finem imponere, quibus plures memoratus Decessor Noster Paulus V Litteras absolvit decernentes Carolo supremos honores: « Aequum est igitur dare nos gloriam et honorem et benedictionem viventi in saecula saeculorum, qui be nedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et cum illum dederit nobis Dominus tamquam fulgentem stellam in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adae mus ad divinam clementiam ore et opere supplicantibus, ut Carolus Ecclesiae quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis et exemplo, adsit patrocinio et in tempore iracundiae fiat reconciliatio, per Christum Dominum nostrum » (1).

Accedat his votis cumuletque communem spem Apostolicae benedictionis auspicium, quam vobis, Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque clero populoque peramanter imperamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxvi mensis Maii, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIVS PP. X

(1) Bulla « Unigenitus ».

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Iulio MCMX).

### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Peregrinorum manus e Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Austrorum Hungarorumque atque Chilensis civitatis legati apud Apostolicam Sedem; Camillus Bellaigne, numismaticae disciplinae doctor; Borussiae legatus apud Apostolicam Sedem; Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus eiusque familia; Ianuarius Granito Pignatelli di Bel monte, Apostolicus Nuntius apud Austrorum Hungarorumque Imperium; Franciscus Marchetti Selvaggiani, Apostolicae Legationis Bavariae Auditor.

### Pontificiae electiones.

RR. PP. DD. Thomas Lillis, episcopus Leavenworthensis, ad sedem tit. Cibyren.; Ioannes Krapac, episcopus tit. Bellogradensis et Semendriensis ad sedem cathedr. ecclesiarum Bosnen. et Syrmien. invicem perpetuo unitarum; Rochus Vucic, episcopus tit. Helenopolitan., ad cathedralem sedem Segniensem cum perpetua administratione ecclesiae Modru sien.; Vincentius Pulisic, episcopus Sebenicen., ad metropolitanam ecclesiam Iadrensem; Iosephus Iacobus Irala, olim episcopus cathedralis ecclesiae de Chachapoyas, in sedem cathedr. tit. Tingitanam transferuntur.

— Augustinus Laera, presbyter Praelatura nullius Aquavivensis, episcopus Castellaneten.; Adulfus Verrienti, archidiocesis Brundusinae, novissime Barensi in provincia utriusque archipresbyteralis ecclesiae Altii Muri et Aquae Vivae nullius dioeceseos Praelatus Ordinarius renunciatus, episcopus

tit. Calynden.; Petrus Armengaudius Valenzuela, Magister Generalis Ordinis B. M. V. de Mercede, episcopus cathedr. eccl. S. Caroli Ancudiae in republica Chilena Americae Meridionalis, renunciantur.

— R. P. D. Thomas Lillis, episcopus tit. Cibyren., in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ioannis Iosephi Hogan, episcopi Kansanopolitani, deputatur.

— R. P. D. Antonio Stillmans, episcopo Gandaven., pallii usus conceditur.

— RR. PP. DD. Alafridus Willier, episcopus Atrebaten., et Ioannes O' Connor, episcopus Novarcen., inter episcopos Pontificio solio adstantes adnumerantur.

— RR. PP. Iosephus M. Civra ex ordine Servorum B. M. V. et Aloisius Copéré, Procurator Generalis Societatis Marianae, inter Consultores Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae; et Iulius Saubat, e Congregatione Presbyterorum Sacri Cordis e Betharam, inter Consultores Sacrae Congregationis Religiosorum adleguntur.

### Varia.

— Die xx mens. Iulii, in Xystino sacello, adstante Pontifice, iusta funebria Leoni PP. XIII persolvuntur, septimo recurrente anno ab eius obitu.

## ANNALES

### Hispanici gubernii cum Apostolica Sede discrimen.

Quum novum administratorum collegium, praeside Canalejas, sub specie universorum libertatis tutandae, summa rerum in Hispania arripuit, certum contra propositum esse in Christianam religionem saevire plerique iam inde suspicabantur. Non tamen fieri posse cogitabant, ut viri illius audacia eo brevi esset deventura, quo vix perfidiosi Galli collegae paullatim pervenerunt. Atqui violenter rebus in Apostolicam Sedem et contra foedera agitatis, ultimi iam temporis discrimen adventat, dumque hae paginae lectorum oculis subiiciuntur, verbum ultimum fortasse enunciatum erit, nobilissimaque et pientissima Hispanorum gens legatione sua Romae, ac Pontificio Nuntio Madriti privata erit, atque ad bellum civile item ac religiosum indigne proiecta. Faxit Deus, qui potest, ut atrae nubes evanescant, atque iustitiae pacisque sol caecas factiosorum hominum mentes collustret, lucisque suae beneficos radios iterum per Hispanicas terras diffundat!

\* \* \*

### Cretensis quaestio.

Firma nationum tutelam Cretae insulae gerentium voluntas, optatum exitum obtinuit. Ipsae enim naves suas ad Sudae litus miserunt, ut quum publici

coetus sessiones resumerentur, libertas Turcis legatis fieret, suum ad quod deputati erant officium solvendi, neque tamen Graecorum regi fidelitatis iuramentum praestare cogerentur. Ita reapse factum est, rogationeque ad rem approbata, coetus ipsius sessiones ad quatuor menses dimissae. Nunc igitur sperare licet fore ut huiusce saltem temporis spatum in pace peragatur.

\*\*\*

### In inferiore America.

Dum Saenz Pena, Bonearensi in urbe, sollemniter rerum Argentinae reipublicae potitur, Restrepusque doctor Columbianae civitatis praeses pacifice renunciatur, in Nicaragua novus electus praeses Madrizius magnis occupationibus distinetur. Quum enim in adversae partis fautores Superioris Americae cives, incaute procedit, Civitates Foederatae Americae Septemtrionalis ad cives suos defendendos cum armis intervenire minitantur, neque ceteri Status, quorum patrocinium Madrizius invocaverat, ut eas ab huiusmodi consilio retinerent, ipsius petitionibus obsequi voluerunt. Quid inde futurum? Eventus indicabunt.

### PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** de novis redditibus pro classi provisum; computatio expensarum pro Indiis approbata: definitaque difficilis quaestio de regalis iuramenti formula, quae temperatior in Catholicorum cultum facta est.

In **Bavaria** de scholasticis legibus disceptatum, acriter at frustra iis socialistarum factione obstante.

In **Dania** novum administratorum collegium compositum; praeside Bernsten e liberalium parte. Ahlefeld-Laurvig, Comes, exteris negotiis praepositus.

In **Hispania**, recurrente anno a Barcinonensis tumultibus, de eorum coercitione a tunc temporis gubernio facta excitate atque audacter disputatum. — Ab administratorum praeside rogatio legis senatui proposita, qua prohiberetur novarum reliquias familiarum constitutio, donec reformationes de relationibus inter civile et ecclesiasticum gubernium explete fuerint.

In **Hungaria** publici coetus opus ad exitum tranquille peractum novaque delectus militum lex, et commercii foedus cum Romania rata habita.

In **Italia** lege de infima schola ad finem perducta, coetus sessiones ad autumnum dilatae.

### PER ORBEM

Die I mens. Iulii MCMX, Leopoli, iuvenes Poloni et Rhuteni studiis vacantes inter se manu confligunt.

— die IV Ioannes Schiapparelli, vir astrorum scientia per orbem universum celebratus, Mediolani pie sancteque obit. Natus erat in oppido Savigliano ad Cuneum die XIV mens. Martii an. MDCCXXXV.

Rheni in urbe, atque inde in pluribus aliis Americae Superioris civitatibus, quum ex pugnorum singulari certamine Johnson quidam nigritarum gentis gladiator victor evasisset, odium in nigritas tam saevit, ut ad vim in eos passim deveniatur.

— die V Sinensis legatio ad militares Europaeorum ordines cognoscendos, cui Tsai-Tao princeps praefectus, Romam advenit.

— die VII, Romae, signum insculptum ponitur Henrico Ibsen poetae, in domo ubi dramaticum poema scripsit, cui titulus *Brand*.

— die VIII Aemilius Usiglio, symphoniacus praeclarus, Mediolani moritur.

Rhemis, De Laroche, nobilis foemina, cum aëroplano suo in terram praecipitat vulneraque patitur, quae post paucos dies eam ad mortem adducunt.

— die X Carolo Wachter et Danieli Kinet aviatoribus eadem tristia fata contingunt.

— die XIII novos huiusmodi luctus de Rolls aviatore Bournemout in urbe lugentur.

— die XV Belgarum rex et regina Lutetiam Parisiorum tenent.

— die XVI Romae vita fungitur Vincentius Remer e S. I. philosophiae magister eximus, quam viginti et quinque annos in Gregorianae Universitate docuit.

— die XVII Danorum aviator Svendsen cum aéronavi sua Sund fretum feliciter pertransit.

— die XXI nova ferreis axibus constrata via inter Venetas et Tridentum aperitur.

— die XXII, Barcinone, iuvenis quidam ex anarchistarum factione, Antonium Maura, iam administratorum collegii praesidem, manuballistula petit, quin tamen fausto auspicio facinus; cui intenderat, perpetret.

— die XXIII imber densusissimus plures Insubriae civitates ex improviso vastat.

— die XXIV senectute atque laboribus confectus Romae vita fungitur Constantinus Maes, antiquitatis ac de moribus Romanorum indefessus inquisitor.

— die XXIX, Modoetiae, sacellum in loco ubi abhinc annos decem, hac ipsa die, Humbertus, Italorum rex, nefarie interemptus est, sollemni ritu inaugurator.

— d. XXXI celeberrima turris apud Waterloo in ruinam procumbit.

## LIBRORUM RECENSIO

GEORGES FRÈMONT. — *La grande erreur politique des Catholiques français.* (Parisiis, Bloud, 1910).

Auctor iam pluribus notus operibus editis, probatis argumentis id suis civibus probare studet, quod nos ceteri omnes ubique terrarum iam diu perspectum habemus, miseram rerum publicarum conditionem ex eo habere originem, quod catholici hostiliter in *rempublicam democraticam* se gerant. Huiusce autem rei causa est ille primus error multorum, qui opinantur *monarchicam* formam imperii ab Ecclesia quasi inseparabilem, ita ut ambo fere unum et idem sint; *rempublicam* vero democraticam ex natura sua fidei catholicae adversari et cum illa reconciliari non posse. Quod quam sit absurdum Leo XIII in praeclaris illis Encyclicis litteris: « Immortale Dei » anni 1885 disertissime demonstravit; et quod plurimi Francogalli doctrinas et consilia Summi Pontificis non observant, est alter gravissimus error. Quamquam in hoc auctorem valde laudamus, nihilominus ille in idem vitium cadere videtur, quum in suis civibus severe reprehendat, quod Summus Pontifex nunc temporis regnans Praesidem Reipublicae gallicae Loubet non solemniter suscepit; quasi non optimis rationibus fultus et vestigiis sui praedecessoris incendens Pius X ita egerit. Omnes autem Galliae catholicos perpendere et observare velim illud Sallustii — et haec est summa libri —: « Concordia parvae res crescunt, discordia maxima dilabuntur ».

P. FRIDOLINUS.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

*Składnia gramatyczna języka łacinskiego w stosunku do języka Polskiego.... przez JOZEFĄ WABNERĄ.* — Edid. Varsaviae Polonorum E. Wende. (Ven. kop. 50).

I. B. FRANCESIA SAC. *De Dominico Savio Salesianorum legiferi alumno commentarius.* — Ex off. Don Bosco S. Benigni in Salassis, 1910.

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *Commemorazione di Don Bonifacio Maria Krug, Abate di Montecassino.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1910. (Ven. lib. 1).

ID. *La famiglia cristiana. La civiltà cristiana.* — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

ID. *Poveri e ricchi — Il danaro.* — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

Mons. GEREMIA BONOMELLI. *La scuola laica.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *La Famiglia.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Il Divorzio.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Il Suicidio.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Proprietà e Socialismo.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Questioni morali del giorno.* — Indidem. (Ven. lib. 2,75).

R. G. MEYER d. C. d. G. *La scienza dei Santi.* Versione italiana del sac. Angelo Sinibaldi, riveduta e approvata dall'autore. — Editio altera. — Indidem. (Ven. lib. 2).

BARONE J. ANGOT DES ROTOURS. *S. Alfonso de' Li-guori.* (1696-1787) — Indidem. (Ven. lib. 2).

LUDOVICO MACINAI. *Tra i Misteri. I misteri e l'evo-luzione.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

PAOLO GRAZIANI. *Sisto V e la sua riorganizzazione della S. Sede.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

D. G. Pilatillo. Racconto estratto dalla collezione di Letture ricreative di L. COLOMA e tradotto col per-messo dell'autore. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

## AENIGMATA

## I.

Sustinet arcanum; cervicis sustinet orbum;  
Sustinet hic quadrupes; sustinet ille bipes.

## II.

Olfacio, clamo, moneo, quoscumque fidele,  
Captivum tueor, liberiusve sequor.

F. X. B.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretatio-nem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet IOANNIS FRANCESIA opus, cui titulus:**

TARCISIUS

ACTIONE DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

Aenigmata an. XIII, n. V proposita his respondent:

1) *Batro*; 2) *Palea - r.*

Ea rite soluta miserunt:

Guil. Schenz, Ratisbona. — Alb. Kain, Dublino. — Lad. Lud. Podobinski, Cracovia. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — I. M. Meunier, Corbiniano. — I. Ortiz, Morelia. — I. Wawer, ex Argentina republika. — Alb. Catteau, Lugduno. — Am. Robert, Mariaville in Canada. — I. Martins, Philadelphia. — Fr. Baturawicz, Zytomiria. — Iac. Menendez, Madrid. — Alex. P. Gest, Trentonio. — I. Cioli, Papia. — Alex. Fásztusz, Szatmár. — Hern. Forgeot, Nicaea ad Varum. — Ioan. Biava, Bergomo. — R. Richi, Traianopolis. — F. Arnori, Mediolano. — F. Correa, Emerita. — F. X. N., Drepano. — Fr. Guerra, Aletio. — E. Ricci, Florentia. — F. Stare, Neapol. — Clem. Fiard, Curia Rhaetorum. — Petrus Tergestinus. — Eug. Dolmar, Chicagine.

Sortitus est praemium:

RENATUS RICHI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

S. AMBROSI DE OFFICIIS LIBRI TRES  
(Edit. F. TAMIETTIUS).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.